



**G**Ebhardus multis uirtutib. insignis apud Rumelum Sueuorum ducem magna existimatione & autoritate fuit, idq; eo tempore cum Constantinus magnus Romanum Imperium gubernaret, anno Christi trecētesimo tricesimo. Erat enim Gebhardus ille animi & corporis fortitudine conspicuus, atq; insuper magna modestia præditus. Itaq; Rumelus dux eum suum dapiferum constituit, atq; arcem Vualdburgum cum adiacenti ditio-  
ne dono dedit. eius etiã familiam cœruleo clypeo cum tribus aureis pineis exornauit, eò quod ea in arce præter cœlum & syluam nihil aliud tum temporis cernere licebat. Verùm Gebhardus agrũ cir-

cumiacentem coluit, atq; homines sibi subditos mirabili prudentia & æquitate in officio continuit. Ab eo nobiles Barones & Dapiferi de Vualdburg longa temporum serie in Sueuia exorti, etiamnum durant, & suis uirtutibus Germaniam patriam exornant. Monst. lib. 3.